



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Tam Ecclesiasticis quàm secularibus Principibus Alamanniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

II De negotio imperij.

701

Imperator. Vnde audito quondam quod vota Principum in Imperatoris fauissent electione divisa, tanto magis fuimus de ipsorum divisione turbari quanto bonus status imperij ex causis predictis specialius ad nos spectat, & pro multis & magnis necessitatibus populi Christiani non solum Ecclesia devotum habere desiderat defensorem, sed & imperium totum indigere cognoscitur idoneo provisore. Verum, quantumcunque grave nobis existet & molestum quod imperij provisio videbatur in commune religionis Christianae dispendium ex tali divisione differit, ne tamen Principum dignitate ignore vel laderem videtur, expectavimus aliquandiu si forsitan ipsi usi consilio saniori, vel per se ipsos, si fieri posset, dissensioni sua finem imponerent, vel super hoc saltem nostrum consilium implorarent, ut per eorum studium nobis mediatis discordie malum bono concordiae purgaretur, & rugam schismatis unitatis simplicitas aboleret. Cum autem expectatio nostra nec nobis, nec vobis, immo nec imperio ipsi prodesset, sed obesse potius videbatur, ne dissimilando videtur hujusmodi fore discordiam, ad concordiam vos curavimus per litteras apostolicas invitare, quas ad multos Principum novimus pervenisse. Postmodum vero audito quod per sollicititudinem bona memoria Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra praesentia redeuntes disponuerint Principes ad colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, ne quid ex contingentibus omittentes videbemur, litteras nostras ad eos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum eisdem fideliter exponentes. Ceterum, cum nec sic haec tenus inter eos bonum concordiae potuerit provenire aut utiliter imperio provideri, deliberavimus cum fratribus nostris quid esset agendum & qualiter posset malis imminentibus obviari. Tandem vero in hoc resedit consilium, ut venerabilem fratrem nostrum Praestinum Episcopum apostolicae sedis Legatum, religione conspicuum, præditum honestate, magnum Ecclesie Dei membrum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & cum eo dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito sua probitatis acceptum, ad partes Germaniarum ex nostra latere mitteremus. Quia vero quanto negotium istud magis est arduum, tanto maiores & maturiores exigunt tractatores, venerabili fratri nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicae sedis Legato, qui post nos in Ecclesia Romana obtinet primum locum, dedimus in mandatis ut si a negotiis illis quibus intendit in regno Francorum se poterit expedire, cum ipsis pariter & per ipsos numerò a nostro latere venientes instrutus pleniis ad partes vestras accedat, & ambo Episcopi simul, vel alter eorum, si ambo non poterint intercessi, cum eodem Notario vestrum consilium audiatur, & vobis beneplacitum nostre voluntatis exponant. Ideoque universitatibus vestra per apostolica scripta mandamus quatenus cum ab eis vel eorum altero fueritis evocati, ad presentiam evocantium aut etiam evocantis accedere

Tom. I.

non tardetis. Datum Laterani Non. Ianuarij, [pontificatus nostri anno quarto.]

In eundem modum scriptum est Capitulo & suffraganeis Ecclesie Maguntiae, & Principibus in Maguntina provincia constitutis.

In eundem modum Salzburghensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Salzburghensi provincia constitutis.

In eundem modum Bremensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Bremensi provincia constitutis.

In eundem modum Trevirensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Trevirensi provincia constitutis.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS
quam secularibus Principibus Alamannie.

Epi. 31.

Quantum ex imperij divisione dispendium, non solum nobis & vobis, sed etiam universo populo Christiano proveniat, instantis temporis malitia manifestat. Nam etenim contra catholicos invalescunt heretici, Christianæ religionis termini coactantur, contra fideles pagani super occupatione ac detentione terræ nativitas dominice gloriantur. Pax & justitia, quondam invicem se complexæ, particulare nunc deplorant exilium, & in earum sedes violentia & sedicio conjuratis manibus impure se jactant successisse. Vnde jam violenti bona Ecclesiasticae sacrilega tam mente quam manu diripiunt, potentiores impotentium colla premunt, & loculi pauperum in thesauris divitium inopem coguntur copiam vel copiosam inopiam parturire, ac in eorum explicationibus plicas veteres, ut jam ad litteram quod legitur implatur: *Ei qui non habet id etiam auferetur quod videtur habere.* Et ut singula brevius perstringamus, jam sibi juris locum injurya vendicavit, & legem facit, non ratio, sed voluntas; ita ut quidam totum sibi licere putent quod noverint complacere. Nos autem jam pridem haec omnia prævidentes, & volentes præcavere sollicitè ne hujusmodi venirent abusiones in usum, licet expectantes exspectaverimus aliquantum ut vos usi consilio saniori hac mala per utiliem provisionem imperij tolleretis & in partu perimetris hujusmodi genima viperarum, tandem tamen, ne dissimilando fovere discordiam videbemur, cum non ad depressionem sed exaltationem imperij, sicut novit Dominus, intendamus, per litteras nostras, quas ad multos vestrum novimus pervenisse, vos ad concordiam curavimus invitare, ne imperialis sublimitas per eos, non solum attenuari, sed & defluvi videbetur per quos magnificati debuerat & extolli. Tandem autem auditio quod per studium & sollicitudinem bone memorie Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra præsentia redeuntes quidam vestrum disponuerint ad commune colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, litteras nostras ad vos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum vobis exponentes fideliter, & super iis que videbantur necessaria vos diligentius instruentes. Ceterum cum nec per expectationem diutinam, nec per exhortationem honestam, nec per instructionem plenariam sit haec tenus concordia prioris incommodum sequentis

V V u ij

concordia commoditate purgatum, ne quid ex contingentibus omittamus, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum &c. ut in precedenti usque acceptum, ad partes Germaniarum duximus destinandos, ut ipsi cum venerabili fratre nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicae sedis Legato, si tamen à negotiis quibus teneatur in regno Francorum se poterit expedire, aut etiam sine ipso, si forsitan non poterit interesse, vos ex parte nostra diligenter moneant & inducant ut per vos ipsos cum eorum, si necesse fuerit, consilio & præsidio ad concordiam efficaciter intendatis, concordanteres in eum quem nos ad utilitatem imperij cum Ecclesia honestate merito coronare possumus, vel si forte per vos desiderata non possit concordia provenire, nostro vos saltem consilio vel arbitrio committatis; salva in omnibus tam libertate vestra quam imperij dignitate, cum neminem magis quam Romanum Pontificem super hoc decat vos mediatores habere, qui voluntatibus & rationibus intellectis, quid justum foret & utile provideret, vosque per auctoritatem cælitus sibi datam super juramentis exhibitis quoad famam & conscientiam liberaeret, cum & negotiis imperij ad nos principaliiter & finaliter pertinere nosfatur; principaliiter quidem, quia per Romanam Ecclesiam fuit à Græcia pro ipsis specialiter defensione translatus; finaliter autem, quoniam eti ab alio regni coronam recipiat, à nobis tamen coronam imperij recipit Imperator. Monemus ergo universitatem vestram & exhortanur in Domino, & per apostolicae vobis scripta mandamus, quantum Legatos ipsos vel eorum alterum in Thettoniam accedentem & eundem Notarium recipiatis hilariter &, sicut decet, honorifice perpetrate, ipsorum monita & consilia recipientes humiliter & inviolabiliter observantes. Nos enim eis dedimus in mandatis ut ad concordiam vestram & utili ordinationem imperij prudenter & diligenter intendant. Datum ut supra.

*ILLUSTRI REGI OTTONI
in Romanorum Imperatore electo.*

Epiſ. 32.

VT non solum dispositio rerum & temporum omnipotentem Dominum demonstraret, sed ipsa quasi conformitas operum & eventuum ad se invicem eundem omnium fateatur auctorem, cælestibus Dominus terrestria conformavit; ut dum mirabiliter quadam similitudine respondere viderimus ima summis, unum & eundem factorem & auctorem omnium cognoscamus. Ipse etenim licet sit magnus in magnis, ut mirabilis tamen etiam in minimis appareret, sicut circa mundi creationem & seculorum initia duo magna luminaria in firmamento cæli constituit, unum quod illuminaret diem, alterum quod in tenebris radiaret, sic processu temporum ad firmamentum Ecclesiæ, quæ cæli nomine designatur, duas magnas instituit dignitates; primam quæ illuminet diem, id est, in spiritualibus spirituales informet & animas diabolica fraude deceptas à peccatorum catenis absolvat, cum ex privilegio sibi traditæ potestatis quos ipsa ligat & solvit in

terris, Deus ligatos habeat & solutos in cælis; alteram quæ in tenebris radiet, dum in hæreticos mentis cœcitate percussos & hostes fidei Christianæ, quos nondum oriens ex alto respexit, Christi & Christianorum punit injuriam, & ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, materialis gladij potestatē exercet. Vnde sicut in ecclipsi lunæ tenebrae amplius tenebrescent & majoris caliginis obscuritas invalescit, sic ex Imperatoris defectu hæreticorum vesania & violentia paganorum contra catholicos & fideles perdidit & crudelius malitia multiplicata confurgunt. Hoc autem attentes solliciti, ac volentes malis imminentibus obviare, circa provisionem imperij solliciti fuimus, sicut per frequentes litteras directas ad Principes & Legatos transmissos ad eos omnibus credimus patuisse; in quo quantum celstudini tuae duxerimus deferendum, & tu ipse novisti, & res perhibet testimonium veritati. Novimus enim qualiter inlæ recordationis Lotharius Imperator proavis tuus Ecclesia Romana devotus extiterit, qualiter pro defendendo ejus honore non solum semel sed & secundum vocatus accesserit, qualiter in ipsius subdicio finierit dies suos, qualiter avus & pater tuus ejus vestigia inherentes prædecessoribus nostris exhibuerint se devotos, qualiter etiam Anglicana domus, ex qua ex parte matris es ortus, in devotione fidelis apostolica ferè semper persistiterit & persistat, & ei tempore grandis persecutionis obsequium impenderit opportunum. In te igitur progenitorum tuorum devotionem suscitare pleniū & abundantiū remunerare volentes, credimus & quasi pro certo tenemus quid non solum in ea te verum ostendes heredem eorum & legitimū successorem, sed tanto ipsis in hoc præcedes amplius quanto te à nobis magis intelliges honoratum. Inspire autem corди tuo is qui corda Principum habet in manu sua, & per quem Reges regnare & Principes obtinent principatum, ut affectum nostrum penes pleniū per affectum quam nostro tibi explicemus vel explicare possimus affatu, & ea quæ acta sunt hacenus & aguntur, & adhuc dante Domino per nos circa te agentur in posterum, fideliter in tuo corde reponas, & ita memoriae recommendes ut nec oblivious videri valeas vel ingratu, sed ad apostolicae fides exaltationem & honorem potenter intendas, & ejus plenè benevolentiam recognoscas, quæ cum defecissent ferè penitus vires tuae, in tua dilectione non tepuit, nec te deferuit in adversis, sed tamdiu fovit donec juxta tuum te desiderium exaltaret. Nos enim serenitatem tuam in eo de consilio fratrum nostrorum honorare volentes ultra quod in seculo secularis Princeps nequeat honorari, auctoritate Dei omnipotentis nobis in beato Petro collata te in Regem recipimus, & regalem tibi præcipimus de cetero reverentiam & obedientiam exhiberi; præmissisque omnibus quæ de jure sunt & consuetudine præmittenda, regiam magnificientiam ad suscipiendam Romani imperij coronam vocabimus, & eam tibi dante Domino humilitatis nostræ manibus solemniter confe-